~~71X6135 fn~~

14-5-8-33

DE CAMBIO
TRACTATVS BREVIS ATQVE DILVCIDVS

In quo eius Eſſentia, & iuſtitia declaratur, & impugnantium argumentis reſpondetur

AVCTORE

CANDIDO PHILALETHO
Genuenſi Presbytero.

GENVÆ,
Typis Benedicti Guaſchi. M.DC.LII.

De licentia Superiorum.

S. Andrea della Valle.

ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. IACOBO
DE
FRANCHIS

Sereniſſimæ Reipublicæ Genuenſis Olim Duci

Nunc Procuratori Perpetuo
Auctor D. D.

ROGASTI aliquando, Vir Illuſtriſſime, meam de Cambij æquitate ſententiam, nonnulla ſimul quæſita, quæ ſoluerem, proponendo: inter dubitationum nebulas, ingenij tui, & eruditionis lucem aſpexi, ac ſenſi pietatis

ardorem. Vtrum ſatis pro voluntate tua ad interrogata reſponderim tunc, ignoro. Accipe nunc ſcripto quid ſentiam: examina ſolertiſſimo iudicio tuo, ac, ſi probaueris, authoritate tuere. Sic te diu incolumem ac felicem, cum Sereniſſimo fratre tuo Hieronymo hodie regnante, Reipublicæ noſtræ, ac bonis omnibus Deus Optimus ſeruet, ac tueatur.

L E-

LECTORI AVCTOR.

CRETICVM *labyrinthum ad interimendum Minotaurum ope Ariadnæ Virginis ſideribus coronatæ feliciter ingreſſus, & egreſſus eſt Theſeus. Ego Theologicum labyrinthum, quæſtionem De Cambio implicatiſsimam aggredior, Semibouemque virum ſemiuirumque bouem necaturus, nempe fænus auidum, & vorax, monſtroſum partum intemperantis in augendo pecuniæ, ſpeciem quidem humani contractus præ ſe ferentem, ſed re vera beſtiam omnium truculentiſsimam; ſi forte ſecurus ac victor egrediar, Virginis*

munitus præsidio, quam duodecim astra coronant, siue illius quæ in Cœlis iamdiu Regina triumphat, siue quæ in terris adhuc militat Imperatrix Romana Ecclesia, cuius filum ac ductum quisquis sequitur, inuolutas quascunque intrat & euadit securus ambages. Perge mecum amice Lector; compendiariam viam tenebo: si labyrinthum explico, Virginem celebra, Deum collauda.

CAM-

CAMBIORUM materiam, labyrinthum olim ingenijs Theologorum inextricabilem feliciter aperuit sibi, & Reipublicæ litterariæ. CANDIDUS PHILALETHUS, nimirum cui, non fictitia Ariadna, sed vera Pallas sapientiæ filo præsto fuit; Vnde tractatum hunc de cambijs iussu Renerendiss. Patris Inquisitoris visum approbo & dignum luce censeo.

Ego D. Io. Baptista Spinula C.R.S. Consultor.

Imprimatur.
Inquisitor Genuæ.

Imprimatur.
Ex auctoritate Illustriss. Magistratus Inquisit. Status.

Laurentius Oliuerius Cancell.

DE CAMBIO

TRACTATVS.

EST animus indagare prę-
ſertim eſſentiam abditiſ-
ſimam, ac pleriſque ad-
huc irrepertam huius tã
noti ob celebritatem,
quàm ob difficultatem ignoti con-
tractus, & quæſtiones aliquot pro-
ponere, & agitare, ad illam inueſti-
gandam perutiles, non tamen ad-
huc valdè diligenter ab aliquibus
Doctoribus diſcuſſas. Et vt quædam
certiſſima ob notionem nominis.
prę̨mittantur; Cambium, vt no-
men

men ſonat, commutationẽ ſignificat; non tamen ad quancumque cõmutationẽ ſignificãdam communiter aſſumitur, ſed ad illam tantum, quæ eſt pecuniæ cum alia pecunia diuerſi generis, ſeu ſpeciei; nam commutatio pecuniæ cum alia pecunia eiuſdem planè generis, aut ſpeciei, & in eodem loco (nam hoc ipſo quod eſt in diuerſo ac diſtãte loco mutat ſpeciem, vt videbimus) eſſet commutatio nugatoria, ad quid enim fieret, vel cuius commodi gratia? Quoniam autem Ariſtoteles agens in Politicis de commutationibus,quæ plurimum neceſſariæ ſunt ad politicam, adeoque humanam vitam ſuſtentandam; Primum fuiſſe ait commutationes rerum naturales, eo quod aliquis vino abundans, indigeret tritico, &
cum

cum hoc illud commutaret; postmodum successisse artificiales, quia difficilis erat illa naturalis, seu rerum naturalium commutatio, cum non ita facile res quæcunque tansmitti, aut cum alia posset adæquari; quapropter adinuenta est pecunia ex instituto hominũ, veluti res quædam artificialis, mercium, siue rerum naturalium commune pretium; Vnde orta est emptio, & venditio, quæ est altera à prima species commutationis Demum ipsius pecuniæ cum alia pecunia commutationẽ extitisse docet; quæ cambium communiter appellatur. Modo suborta est quæstio grauissima inter aliquos Doctores, & quæ multum confert ad intelligendam quidditatem, & ad iudicandum de iustitia cambij; Vtrum scili-

ſcilicet commutatio pecuniæ cum pecunia diuerſi generis, ſiue cambium, eſſet verè, ac propriè emptio, ac venditio, vel potius eſſet cõtractus quidam alius, & ſpecie ab illa diſtinctus; pro quo ſit.

QVÆSTIO I.

Vtrum cambium ſit contractus emptionis, & venditionis.

PRIMA ſententia affirmat; Syluestri de vſura quæſt. 8. Boninſignij tr. de cambijs cap. 7. num. 27. Fabiani de camb. cap. 5. Scacciæ de commer. ſæpe, Scortiæ in Epit. Bull. 107. Theorem. 289. & aliorum.

Probatur primo; omnis res artificialis ratione ſuæ materiæ, quæ eſt res natu-

naturalis, emi poteſt, vel vendi; ſed pecunia eſt res artificialis, ergo ratione ſaltem ſuæ materiæ emi, vel vendi poteſt, ergo cambium eſt emptio, vel venditio.

Probatur ſecundo; cambium eſt negotiatio quæſtuoſa, vt experientia cõſtat, ſed quæſtus, ſiue lucrum in illo eſſe non poteſt, niſi pecunia vendatur; ergo cambium eſt venditio. Minor probatur; in cambio commutatur vna pecunia cum alia diuerſi generis; vel ergo pecunia ex vtraque parte ſe habet tantum, vt pretium rerum venalium, vel ſe habet, vt appretiabile, ac proinde vt merx: non primum, quia cum pecuniæ valor, vt eſt pretium, conſiſtat in indiuiſibili, & ſit idem reſpectu omnium, apud quos talis valor eſt taxatus, non poterit dari minor quan-

quantitas eius pro recipienda maiori, & ſic non erit lucrum; ergo venditur, quia merx & appretiabile vēditur, & ſic eſt quæſtus in ea, quod erat probandum in minori, & tunc ſequitur concluſio.

Probatur tertio, ex Ariſtotele primo Polit. cap. 6. Poteſt quis vti pecunia alio modo, quam vt pretio rerũ venalium, nempe commutando illá cum altera; ſed tunc ſi non eſt pretium, eſt appretiabilis, ergo merx, ergo venditur; ergo cambium eſt pecuniæ venditio.

Probatur quarto; quod poteſt locari, poteſt etiam vendi; ſed pecunia poteſt locari, vt cum datur alicui vt vtatur illa ad pompam pecuniarum faciendam; ergo poteſt etiam vendi; ergo cambium eſt venditio.

Probatur quinto; cum eſt copia pecu-

niæ,

niæ, minus æſtimatur à mercatoribus; cum vero eſt inopia, magis; ſed quod magis, & minus poteſt æſtimari, poteſt vendi; ergo pecunia eſt vendibilis; ergo in cambio venditur.

Probatur ſexto; ſic ſaluatur melius iuſtitia cambiorum, dicendo, quod pecunia venditur in illis, ſed verè pecunia eſt vendibilis; ergo dicendum eſt illam in cambijs vendi.

Probatur ſeptimo; mercatores ſolent dicere, cum dant ad cambium Genuæ verbi gratia pro Placẽtia, ſe dare tantum pretium pro illa pecuuia, quæ reddenda eſt Placentiæ; ergo dans pecuniam præſentem ad cambium emit, recipiens vero illam, vendit abſentem.

Probatur octauo; ſcutum marcarum non eſt verum ſcutum, quia nullibi repe-

reperitur, ſed eſt merx quædam, quę emitur tanquam pretio, vero ſcuto, ergo in cambio fit vera venditio.

Secunda ſententia negat cambium eſſe emptionis, ſeu venditionis contractum. Ariſtotelis qui Polit. p. cap. 6. aſſiguat tertiam ſpeciem permutationis, quæ eſt pecuniæ pro pecunia, diſtinctam à prima, quæ eſt mercis natutalis cum merce naturali, vt tritici cum vino, & à ſecunda quæ eſt mercis cum pretio. Caiet. op. de camb. cap. 7., qui quaſi emptionem, ſeu venditionem appellat, vt à vera emptione diſtinguat, cui cambium ſolum eſt ſimile, vt habetur l. 2. ff. de rerum permutationibus ſic. Permutatio, & cambium emptioni, & venditioni valde affinia, & ſimilia ſunt; Soti, Rebelli de camb. initio; Molinæ de contr. tr. 2. diſp.

disp. 396. Card. de Lugo t. 2. de iust. & iure disp. 28. sect. 1. num. 2.

Dicendum cum his, Cambium non esse contractum emptionis, seu venditionis.

Probatur primo; in emptione, & venditione ex vna parte est pretium, ex altera res appretiabilis, siue merx; sed in cambio pecuniarum non magis vna pecunia est pretium alterius, quam altera, nec magis vnus est emptor, quam venditor; ergo.

Probatur secundo; Tres possunt esse species permutationis; vna rei appretiabilis cum re appretiabili, altera pretij cum re appretiabili (non enim pretium appretiabile est, cum sit id, quo cætera appretiantur) tertia pretij cum pretio. Prima fuit permutatio prima naturalis, secunda fuit artificialis, inuenta ob maio-

rem commoditatem ; tertia post vtramque ; Sed secunda solum est emptio, & venditio ; ergo tertia, quæ dicitur cambium, non est emptio, seu venditio.

Probatur tertio à nomine communi, quod retinet, quia cambium, non venditio appellatur.

Probatur quarto ; quia si pecunia aliquãdo potest venire vt merx, adeoque vt vendibilis, id fit propter accidentia ipsi, nimirum quia præsens est, vel absens, quia frequens est alicubi, alibi rara ; Vnde propter ista accidentia, vel similia pluris vel minoris æstimabilis est, & appretiabilis, adeoque merx est, & vendibilis; non tamen ratio assignari potest, cur magis vna, quæ datur ad cambium, quam illa quæ recipitur, seu qua sol uitur prima, pretium sit tantum,

altera vero ſit ſimul pretiũ & merx, cum talia accidẽtia non minus vni, quam alteri ſuperueniant; ergo vel vtraque erit tantum pretium, vel vtraque ſimul pretium, & merx, & ſic non erit venditio, ſed permutatio, vel pretij cum pretio, vel mercis cum merce, vel vtriuſque ſimul cum vtroque.

Ad primum, nego vltimam conſequẽtiam, quia in cambio non attenditur materia pecuniæ, ſed pecunia venit, vt pecunia formaliter, nempe ſcuta aurea, verbi gratia, cambiũtur cum alijs ſcutis aureis eiuſdem valoris, & bonitatis, vt patet in ſolutionibus cambiorum; quod ſi ob raritatem, ſeu inopiam pluris æſtimantur, vel propter diſtantiam minus appretiantur, vnde veniunt vt merx, adhuc falſa eſt conſequentia,

ſunt enim merx ex vtraque parte; & ſic non venditio propriè, ſed cōmutatio: tranſeat ergo quod pecunia poſſit vendi ratione materiæ, ſed non ſic venit in cambio.

Ad ſecundum nego minorem; Ad probationem dico poſſe venire, vt pretium & vt mercem; vt pretium quidem in aliquo cambio minuto, in quo eſt adhuc aliquod lucrū propter laborem, & deputationem perſonæ ad illud miniſterium in commodum alterius; vt mercem vero, cum propter alia accidentia, vt materialia quædam, ſiue localis diſtantiæ, ſiue copiæ, vel inopiæ, appretiabilis eſt diuerſimode; ſed tunc venit vt merx ex vtraque parte, quia ſi creſcere debet pretium propter illa accidentia ex vna, ideo creſcit, quia ex altera, cum qua cōmutatur,

ſunt

ſunt accidentia diuerſa, propter quę eſt minus appretiabilis; nego igitur conſequentiam, quod ſit venditio, quia deberet ex vna parte venire vt pretium.

Ad tertiũ nego ſecundã, & tertiã cõſequẽtiã, quia eſt merx ex vtraq; parte.

Ad quartum nego pariter ſecundam conſequentiam, vt patet ex dictis.

Ad quintum nego item ſecundam cõſequentiam, quia cum in cambio detur pecunia pro pecunia, quæ magis vel minus appretiabilis eſt propter copiam vel inopiam, ex vtraque parte, ſcilicet tam in pecunia campſa, quam in cambiente habet talem appretiabilitatem, adeoque merx eſt ex vtraque parte, ideoque non venditio.

Ad ſextum nego maiorem, non enim dici poteſt cum iuſtitia quod verè

non eſt; pecunia autem in cambijs non venditur, ſed permutatur, vt dictum eſt; Ad minorem diſtinguo ly pecuuia eſt vendibilis, pecunia materialiter, nempe aurum, vel argentum, vel æs, eſt vendibilis, concedo; pecunia formaliter, vt habet pretium legale, eſt vendibilis, nego; quia ſic non eſt merx, ſed pretium mercis. Quod ſi adhuc pecunia formaliter conſideratur, vt commutabilis eſt cum altera propter aliquas qualitates ſuperuenientes ipſi, ob quas vna eſt altera commodior, nimirum quia iſta eſt præſens, altera diſtans, tunc vtraque habet diuersã appretiationem, & vtraque venit, & vt pretium, quia adhuc conſideratur in ea valor legalis, & vt merx, quia vna minus eſt appretiabilis, quã altera, nempe diſtans, ſeu indigens tranſ-

transſportatione, quam præſens, ſeu non indigens tali tranſportatione, & ſic in cambijs per litteras conſideratur, quæ proinde cambia non ſunt proprie venditiones, ſed pecuniarũ permutationes.

Ad ſeptimum, ly pretium ſumitur abuſiuè pro commutabili æquiualente, & non oportet ad tegendam iniquitatem, quæ aliquãdò eſt in cambijs, abutendo terminis, decipere, & decipi.

Ad octauum, illud ſcutum marcarum eſt æquiualens quid veris monetis, nam qui illud habet, ſcit, quantum habet realis pecuniæ, ſi vellet illam in illo loco, in quo habet marcas, & vt notauit Rebellus lib. 11. qu. 11. cambiſtæ vtuntur talibus ſcutis imaginarijs ad computandum, propter expeditiorem ſupputandi rationẽ,

neque variant, eo quod ſint imaginaria appretiabilitatem pecuniæ, vnde iſta ſit merx; hoc enim ſit ab accidentibus illius, inquantum cõmutabilis eſt cum altera, nempe diſtantia, aut præſentia, copia vel inopia, quæ accidentia tam veræ monetæ ſuperueniunt, quam illi fictæ, ſeu imaginariæ: nego igitur antecedens, quia non plus marca eſt merx, quam ſcutum quinque impreſſionũ, ſiue hoc detur ad cambium, ſiue recipiatur in ſolutione, quia vtrobique conſideratur, vt minus vel magis appretiabile ex accidẽtibus mercis iam dictis, ac proinde conſideratur vtrobique vt merx, & ſic non eſt venditio.

Colligitur ex dictis aliquid valde vtile, & animaduerſione dignum; quod hactenus nullum vt puto ſcriptorũ,

&

& multominus id campſores intelligere cognoui, quamquam non negatur, imo conforme eſt dictis Theologorum, qui de hoc ſcripſerunt, eſtque huiuſmodi; in cambio per literas pecuniam tam campſam, quã cambientem, nempe tam eam, quã dat campſor, quam eam, quam recipit idem in loco diſtante à ſoluente campſario (licet aliquando campſor recipiat ipſe prior transferendã alio pecuniam, ſed hoc parum refert) venire vt pretium, & vt mercem ex vtraque parte; nam venit, vt pretium, ſeu vt pecunia formaliter, quia attenditur in ea valor legalis, per quem in eſſe pretij conſtituitur; & venit, vt merx, quia conſideratur inſuper æſtimabilitas eius ex commoditate, ſeu incommoditate, quia vna, vt habeatur, eſt transferẽ-

da, altera non eſt transferenda, & ideo vna plus valet, quam altera; & propter talem commoditatem, ſeu incommoditatem plus vel minus de illa datur, vel redditur; vnde cũ propter talem qualitatem commoditatis, ſeu incommoditatis ſit diuerſimodè appretiabilis, induit rationem mercis, pariter propter copiã, vel inopiam eiuſdem quæ eſt in diuerſis locis, diuerſam æſtimabilitatẽ habet; nam vt bene inquit Leſſius de camb. dub. 4 pecuniæ non habent pretium legitimum niſi reſpectu monetarum eiuſdem loci, quare reſpectu pecuniarum diſſitarum relinquitur pretium imponendum iudicio mercatorum, & eorum qui ſic negotiantur, quod cum ſit vulgare, non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem pretij infimi, medij, & ſummi

summi, itaque possunt vendi, & emi (intellige melius permutari) sicut aliæ merces secundum hanc æstimationem quam periti illius negotiationis bona fide imponunt: ibidem citat pro se alios Doctores, & sequitur Salas dub. 12. vnde patet quo modo orta sit mercatura cambij localis, siue per litteras, in quo pecuniæ diuersimodè appretiantur propter rationem dictam, propter quam appretiabilitatem veniunt vt merces ex vtraque parte; vnde non sola scuta marcarum sunt quædam merx, vt dicunt cambistę, sed etiam ipsa scuta realia in auro, siue argento merces sunt, nam & ipsa diuersimodè æstimantur, quia si do tibi hic Genuæ centum nummos aureos in auro, vt tu mihi Romæ vbi illis indigeo, cambiendo restituas, cum illi,

quos

quos do, habeant incommoditatem annexam, ſiue onus transferendi, minus valent, quam centum aurei in auro, qui tale onus non habent, & ob ignorationem talium formalitatum, quæ ſæpe accidit campſoribus, ſeu mercatoribus, committuntur ab ipſis nonnunquam iniuſtitiæ; nam in contractu cambij per litteras, quod tantum onus non habebit, non minus exigent lucrum, quam in illo, in quo eſt maius onus, quod eſt iniquum, & tam vnum fictũ quam alterum verum contractum mercaturam pecuniæ exiſtimabunt, cum verè non ſit mercatura, ſi pecunia non venit vt merx, de quo clarius infra. ſcire igitur debent mercatores ſe Theologorum indigere auxilijs, & reſponſis, illorum tamen, qui bene norunt rationem huius contra-

ctus,

ctus; alioqui difficillimi ad intelligendum. quare male Lupus non attendendas esse asserit Theologorum speculationes, & alij quidam, quod standum praxi, seu consuetudini mercatorum, malè inquam isti, & pessimè, nam & speculatiuæ rationes non sunt contrariæ practicis, imo hæ gubernantur ab his, cum ab his sæpe pendeant in veritate; & mercatores sciunt quidem quod rei, sed non propter quid, & cũ non distinguãt titulos, & causas lucri in negotijs, & confundant verisimilia cum veris, & paria cum imparibus, graues contra fas, & æquũ committunt errores.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum cambium ſit Mutuum.

VIDETVR ESSE. Primo; totum id quod fit in cambio, fit etiam in mutuo; ergo cambium tam vno nomine, quam altero appellari poteſt; ergo in re hæc duo nomina non differunt. Antecedens probatur, quia in cambio datur pecunia, vt poſt aliquod tempus recipiatur cum incremento, quod totum fit in mutuo; ergo &c.

Secundo; ferè in cambijs non attenditur alia commoditas à campſario, niſi vt habeat pecuniam per aliquod ſpatium temporis; ergo pro commoditate temporis ſoluit, quod eſt ſoluere pro mutuo.

Ter-

Tertiò cambia, & recambia ferè damnantur à Summis Pontificibus, & alijs Theologis tanquam vsuraria, ergo non distinguuntur à mutuo.

Quartò; in recursa, in qua campsor nomine campsarij soluit sibi per suũ agentem de propria pecunia, talis pecunia non est diuersi generis, neque habet diuersam æstimabilitatẽ, quia vt recipitur, non habet annexam distantiam, & onus translationis, cum prius illam iam haberet, vnde non est onerosa, & incommoda ipsi campsori, ac proinde minoris æstimabilitatis, sed eiusdem omnino cum præsente; ergo saltem cãbium recursæ non distinguitur à mutuo cum non dicat diuersitatem pecuniæ secundum æstimationem, neque vllam aliam diuersitatẽ, quæ ad cambium requiritur, vt ex nomine ipso patet. Quin-

Quinto; quo magis distat tempus nũdinarum, eo maius est lucrum campsoris; ergo lucrum est ratione temporis; ergo cambium non distinguitur à mutuo.

Sexto; multi saluant lucrum, quod fit ex cambio, ratione lucri cessantis, quod etiam in mutuo potest accipi; ergo non distinguuntur hęc duo inter se.

Tenent hanc sententiam Hostiensis, Goffredus, & Io. de Lignano in cap. fin. de vsuris, & quidam alij.

In contrarium est communis opinio Theologorũ, cum quibus dicendum cambium non esse mutuum.

Probatur primo, quia mutuum ex S. Th. opusculo 73. cap. 13. non per se requirit diuersitatem eius, quod est reddendum ab eo, quod est acceptum,

ceptum, imo potius quantum possibile est, identitatem, cum mutuatum per se concedatur ad vsum ad aliquod tempus; at cambium, vt nomen indicat, requirit per se diuersitatem pecuniæ (hæc enim sola venit in cambium propriè dictum, vt eius materia) ergo per se, & essentialiter distinguuntur.

Probatur secundo; cambium pecunię fit vel in commodum vtriusque, vel in commodum vnius, & lucrum alterius, alioqui esset cambium nugatorium; at commodum non potest accidere, nisi ob aliquam qualitatẽ vnius pecuniæ, quam altera campsa non habet; ergo in cambio requiritur diuersitas pecuniæ; at in mutuo non requiritur talis diuersitas; ergo inter se distinguuntur.

Dices in quo consistit ista diuersitas

pecuniæ cambiendæ? Respondeo in cambio minuto, quod vocant, esse diuersitatem, vt patet, aureæ, vel argenteæ, vel æreæ, vnius impressionis, vel alterius &c. & in hoc fit quæstus, vel propter operam, quę ponitur à campsore in permutando, vel propter pecuniam ipsam cōmodiorem ad ferendum, aut propter al quam aliam conditionem magis æstimabilem, ex qua appretiatur vna magis quam alia; at vero in cābio per litteras est diuersitas distantiæ localis, quæ sola facit pecuniam distantem onerosam habenti, seu recipienti illam, vtpotè expositam periculis, laboribus, impensis, adhoc vt transferatur, & fiat præsens domino suo, qui illa vti possit; vnde vt sic habet diuersam æstimabilitatē à præsente, & sufficit hæc diuersitas,

imo

imo est vna formalis causa, & radix, cur plus pecuniæ recipiatur à campsore recipiente ipsam cum tali onere à campsario, ac propterea minoris valoris; vnde plus ipsi campsori debet à campsario exbursari. Potest etiam esse diuersa pecunia secūdum æstimationem eadem pecunia materialiter, si modo est in copia modo in inopia, non quatenus expendibilis est, quia sic habet suum pretium affixum, & determinatum, neque variat appretiationē, sed quàtenus commutabilis est cum alia pecunia, ita vt pecunia in inopia, seu raritate ipsius, comparata cum alia pecunia in copia, sit magis æstimabilis, & pecunia in copia comparata cum alia in inopia, sit minus æstimabilis; quare ob talem diuersitatem appretiationis etiam potest cambiri

cum aliquo incremento, & non erit tunc contractus mutui, sed veri, & proprij cambij; intelligitur autem hæc diuersitas facere maiorem æstimabilitatem, quando vel est in eodem loco, puta Genuæ, diuersa specie, puta si sit raritas aureorum, & copia argenteorum, & plures sint, qui quærant aureos, tunc enim raritas est qualitas, quæ facit, vt talis pecunia induat rationem mercis; vel si est eiusdem speciei, puta aurei ex vtraque parte cambiendi, quando est in diuersis locis, puta Genuę; & Hispali; nam si Hispali sunt aurei in maiori copia, minus æstimantur, quam Genuæ, vbi sunt in minori; si vero in eodem loco, puta Genuæ, eiusdem speciei pecuniæ nempe aurei, modo sint in inopia, & post tres menses, verbi gratia, cognoscantur

futuri in copia, possint facere diuersitatem pecunię ex ista qualitate copiæ, & inopiæ, ita vt cambiri inuicem cum lucro possint, dicetur infra.

Tota prædicta doctrina conformis est, & rationi vt patet, et communi auctoritati.

Ad primum nego antecedens. Ad probationem distinguo antecedens, in cambio datur pecunia per se diuersi generis, concedo, in mutuo nego; & ideo quia in cambio per litteras exempli gratia pecunia distans loco, & onerosa propter transportationem, est minus æstimabilis, quã præsens, & propter hoc diuersa, potest plus de illa recipi à campsore, quod non potest fieri per se in mutuo, quia non habet istam diuersam æstimabilitatem.

Ad ſecundum diſtinguo antecedens; in veris cambijs non attenditur alia commoditas à campſario, niſi temporis; nego; quia in cambijs veris per litteras (de his enim vtpotè difficilioribus præſertim agimus) habet commoditatem pecuniæ præſentis, & ſine onere tranſportationis, & dat campſori pecuniam oneroſam: in cambijs pleriſque ſiccis, vt videbitur, non attenditur alia commoditas à campſario, niſi temporis, concedo; ſed cambia ſicca non ſunt vera cambia, ſed vera mutua, & palliata cambia.

Ad tertium; cambia, & recambia ferè damnantur, quia fiunt aliquando contra iuſtitiam, alias contra præceptum caritatis, vt patebit infra.

Ad quartum; patebit infra, dum de eo in ſpecie diſputabitur.

Ad

Ad quintum; concesso antecedente, nego primam, & secundam consequentiam; quia in principio temporis, aut in tempore à nundinis magis distante est maior copia petentium ad cambium, idque vel ob alias rationes, vel ob hanc præsertim, quod longiori tempore possunt vti pecunia campsa, & sic magis lucrari; in maiori autem copia petentium aliquam mercem, illa crescit in valore. Præterea cessat maius lucrum danti ad cambium pro tanto tempore, quo caret sua pecunia, qua in alijs cambijs, vel negotiationibus plus posset lucrari, & campsores, vt inquit Salas dub. 18. maius incommodum putant carere pecunia ad longum tempus quam ad breue, & pro hac maiori incommoditate maius aliquid possunt exi

gere ſicut etiam propter maius periculum in longiori tempore; conſentit Leſſius dub. 6. huiuſmodi autem ſunt iuſtæ cauſæ pluris ſuam pecuniam faciendi; quare maius quidem eſt lucrum cambij in dilatione temporis, ſed non ob dilationem; ita videtur etiam Molinæ de contractibus tr. 2. diſp. 404.

Ad ſextum; concedo multos ſic ſaluare, ſed perperam, nam lucrum veri cambij per ſe iuſtum eſt, tanquam contractus per ſe quæſtuoſi, abſque alio contractu lucri ceſſantis in alia negotiatione; præterea ſæpe maius eſt lucrum in cambio, quam eſſet in alio contractu, & non eſt tantum periculum, vnde per lucrum ceſſans ſaluari nequit.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Vtrum cambium sit operæ locatio.

LOQVIMVR de cambio per litteras, quia de minuto minutas difficultates plerique iam examinarũt, à quibus abstineo libenter, ne iam dicta inutiliter repetantur. Affirmant quidam vt Garzias cap. 32. & Lopez cap. 4. & alij.

Probatur primo. Iturus Romam adit Genuæ campsorem, & dat illi mille aureos, vt reddat ipsos Romæ, & soluit aliquid pro translatione vel formali, vel virtuali; ergo conducit operam, quam campsor locat.

Probatur secundo; si non esset operæ locatio huiusmodi cambium, sed esset verum cambium, non posset initio

initio contractus iuxta Bullam Pij V. conuentio fieri de certo pretio, seu lucro; sed hæc fit; ergo non est cambium.

Negant alij, vt Fabianus de cambijs cap. 5.

Probant autem; quia in cambio per litteras vt plurimum campsor est ille, qui dat, Genuæ verbi gratia, pecuniam, vt recipiat illam Placentiæ; ergo ipse non transportat pecuniam, sed potius campsarius; cum tamen campsor habeat lucrum; non igitur talis contractus est operæ locatio ad transferendum, nam sic qui transfert, deberet habere lucrum.

Sed hæc ratio non obstat cum bona gratia Fabiani; quia adhuc in tali cambio virtualiter campsor trãsfert pecuniam, quam campsarius habet, reddendam Placentiæ, transfert inquam

quam illam per anticipationem Genuam; nam dat campſario commodum hoc, vt habeat ſuam pecuniã præſentem Genuæ, quam diſtantem habet, vel eſt habiturus Placentiæ. Ille enim transferre dicitur, qui cõmodo ſeruit alterius, vt illam, quæ eſt diſtans, faciat præſentem; talis autem eſt campſor, qui ſeruit commodo campſarij, ideoque illi, non huic lucrum debetur.

Dicendum cambium non eſſe locationem operæ.

Probatur quia cambium ex dictis eſt permutatio pecuniæ cum pecunia diuerſi generis; at locatio operæ in transferendo pecuniam non dicit per ſe diuerſitatem pecuniæ, cum poſſit fieri, eadem pecunia manente, imo de ſe ſic fiat; ergo.

Ad primum diſtinguo antecedens; dat

quis

quis Genuæ campſori mille aureos, vt reddat illos Romæ, vel cambiẽdo, vel non cambiendo, ſed eoſdem reddendo. Secundum nego, quia tunc ſolum daret aliquid pro tranſlatione, & eſſet operæ conductio, non cambium. Primum concedo, & tunc cum dat cambiendo, debent attendi qualitates pecuniæ, vt ſtat Romæ, & vt ſtat Genuæ, vt quia vna eſt præſens, altera diſtans, ſeu vna onerosa, altera non; vna in copia, altera in inopia; vna cum tali pretio legali, altera cum alio, & ſic ſecundum æqualitatem cambium debet fieri.

Aduerte autem hic vnum, quod hactenus animaduerſum eſt à per paucis, vel à nemine; quod licet detur pecunia præſens Genuæ à campſario pro diſtante, quam habiturus eſt Romæ,

Romæ, ac proinde videatur ipſe campſarius, ſeu contrahens cum campſore (talem enim ad tollendas æquiuocationes campſarium voco, & ſi ſint duo campſores, inuicem contrahentes, erit campſarius, qui accipit in commodum ſuum pecuniam, ſiue illa ſit pręſens, ſiue diſtans, vt eſt in propoſito, nam qui dat Genuæ, verè accipit Romanam in ſuum commodum, ideoque dicitur bene campſarius) propter hoc debere aliquid plus recipere, cum plus valeat pecunia præſens, vt communiter dicitur, quam diſtans; non tamen ita rem ſe habere; nam verè minus valet pecunia, quam campſor accipit Genuæ, eo quod habeat adiunctum onus virtualis translationis; nam oneroſa pecunia, & ſumptibus obnoxia minus valet, quam non

non onerosa: vnde cum dicitur distans minus valere; non absolutè intelligitur de quacunque distante, sed de distante onerosa; nam si onerosa sit præsens, ipsa minus valet, & in hoc diuersi generis est vna ab alia, adeoque est proxima materia cambij per litteras, quia vna onerosa est, cum operam, & sumptum per se requirat, altera non est talis, adeoque cambiri ad inuicem possunt cum lucro, seu cum excessu pecuniæ ex vna parte.

Ad secundum Bulla prohibet conuentionem de certo interesse, scilicet lucri cessantis, vel damni emergentis, non autem de certo lucro proveniente ex iustis titulis eiusdem.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quisnam contractus sit cambium, & in quo differat ab alijs.

DICENDVM cambium esse permutationem pecuniæ pro pecunia diuersi generis, vt pecunia pretium est, & sic esse speciē permutationis, distinctam ab omni alia.

Est Aristotelis, qui in Politicis tertiam speciem permutationis assignat, quę est pecuniæ pro pecunia, distinctā à prima quæ est mercis cum merce naturali, & à secunda quæ est mercis cum pretio.

Explicatur; pecunia potest considerari, vt est res naturalis, verbi gratia aurum, & argentum &c. & sic si cōmutatur cum alia re, venit, vt merx natu-

naturalis, & pertinet ad primā speciem permutationis; vel potest considerari, vt habens certum pretium à Principe taxatum, & sic est pecunia, vt pecunia, seu vt pretium, quod si vt sic mutetur cum alia merce naturali, talis permutatio ad secundam speciem pertinet, in qua datur pecunia, seu pretium pro merce: si vero mutetur cum alia pecunia, vt pretium est, pertinet ad tertiam, & talis permutatio dicitur proprie cambium.

Probatur quia sic rectè definitur cambium, & distinguitur ab omni alia permutatione; nam ly permutatio est loco generis, cum sub eo nomine comprehendantur omnes tres species permutationis, de quibus supra; cætera vero sunt loco differentiæ; nam pecunia pro pecunia, vt

pretium

vt pretium eſt taxatum à Principe, non permutatur, niſi in cambio; nã vt merx naturalis eſt tantum, ſcilicet vt aurum, vel argentum poteſt permutari cum ſtanno verbi gratia, vel cum tritico in prima ſpecie permutationis; vel poteſt vendi ad deaurandum verbi gratia, fitque per ſecundam ſpeciem permutationis; at vero vt habet pretium taxatum, ſic neque ad primam ſpeciem pertinet, quia non eſt merx naturalis, neque ad ſecundam quia non eſt pretium ex vna parte, & merx ex altera, ſed ad tertiam pertinet, cuius eſt proinde differentia conſtitutiua, & diſtinctiua.

Dices primo, cum hæc verba definitionis, ſcilicet permutatio pecuniæ pro pecunia vt pretium eſt, ſufficienter conſtituant, & diſtinguant tertiam

ſpeciem permutationis, quæ dicitur cambium, videtur in definitione vacare ly diuerſi generis.

Reſpondeo non vacare, nam cæteræ quidem particulæ diſtinguunt cambium à reliquis contractibus; at iſta diſtinguit verum cambium humanũ à nugatorio, quia vt dictum eſt ſupra qu. 2. in ſecunda probatione noſtræ aſſertionis, cambium, ne ſit quid nugatorium, fit vel in commodum vtriuſque cambientis, vel in cõ modum vnius, & lucrum alterius; at commodum non poteſt interuenire, niſi ob aliquam qualitatem, ſeu circumſtãtiam vtriuſque pecuniæ, quã altera campſa non habet, & hæc ſufficit ad diuerſificandum genus pecuniæ, latè ſumendo ly genus, pro qualibet alteritate ſiue ſpecifica, ſiue generica.

Obij-

Obijcies ex Molina de contractibus disp. 398. diuersitas pecuniæ neque quo ad materiam, neque quo ad formam est necessaria in cambio, quicquid dicat Medina de cambijs qu. prima, nam sufficienter cambium locale, siue per litteras, exercetur, etiam si eadem numero pecunia, quę accepta est, Genuæ verbi gratia, redderetur Placentiæ, ergo superflua est in definitione illa particula.

Respondeo verum esse, quod non est necessaria diuersitas materiæ vel forma, neque id ego asserui, sed est necessaria aliqua diuersitas specifica, vel generica saltem propter aliquam circunstantiam; sic diuersitas loci sufficit, quia ex illa redditur vna pecunia onerosa, vtpotè indigens transportatione ad alterum locum,

cum altera non indigeat, habetq; in vno loco vnam æstimationem, alteram in alio, quod est esse diuersũ pecuniæ genus; & hanc diuersitatẽ Molina concedit esse necessariam illa disp. nu. 5., quare non satis video, quomodo illam negare possit in definitione tradenda contra Medinam, qui illam adstruit; nego igitur consequentiam.

Dices secundo ex Toleto lib. 5. instruct. cap. 50. videtur addenda definitioni vna particula, quod nempe sit permutatio negotiatoria, facta nimirum lucri gratia.

Respondeo non esse necessariam, quia etiam si fieret cambium, non lucri gratia, adhuc subsisteret eius essentia, & quærendæ essent rationes iustitiæ talis contractus.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Quotuplex ſit cambium.

MVLTI multas diuiſiones afferũt; alij enim diſtinguunt in cambium minutum, cambium per litteras, cambiũ reale, & cambium ſiccũ; ſed hoc cum nõ ſit verè cãbium, nõ eſt membrum diuiſiuum illius, cum ſit extra ipſius eſſentiam; alia membra non videntur ſufficienter, aut rationabiliter aſſignari, tot potius quam plura, aut pauciora: Ideo vt doctrinaliter diuidendo procedamus.

Dicendum primo, cambium æquiuoce acceptum, prout compræhendit tã verum, quàm apparens, diuiditur in

verum & in fictũ, seu in reale, & in siccũ; Patet ex se, & ex cõmuni vsu, verum & reale cambium appellatur, quod veri cambij supra à nobis definiti proprietates habet; fictum vero, seu siccum, idest carens humore, seu vita quodammodo veri cambij, & solum habens veri cambij apparentiam.

Dicendum secundo; cambium verum duplex est; vnum pecuniæ cum pecunia, vt pretium est, & non etiam vt merx; alterum pecuniæ cum pecunia, vt pretium est, & simul vt merx.

Explicatur simul, & probatur, quia quandoque pecunia permutatur cũ diuersa pecunia, solum attendendo pretium vtriusque legale, vt quando pecunia argentea cum multis minutis æreis, aut argenteis minoris valo-

valoris commutatur, & tunc accipitur lucrum solum pro opera impensa in commodum alterius, cum non sit alius titulus accipiendi (loquimur enim de pecunia, vt pecunia est, sic enim est materia cãbij, quod est tertia species permutationis, nam vt merx naturalis est, vt nimirum habet aliquam naturalem qualitatẽ, ob quam est magis vel minus appretiabilis, sic pertinet vt diximus ad primam, vel secundam) alioqui in commutationibus debet esse æqualitas ex vtraque parte, & hoc appellatur cambium minutum. Quandoque vero non solum attenditur in pecunijs, quæ permutantur pretium legale, sed etiam aliqua qualitas adueniens, quæ facit vnam pecuniam magis, vel minus æstimabilẽ altera; vt quod sit onerosa accipiẽ-

ti, quia debet transferri in loca longinqua, insuper quod in tali loco, vbi recipitur, sit vilior propter copiam, quod sit commodior, aut securior ad transferendum, & similia, quæ sunt qualitates conuenientes omni merci, adeoque pecuniæ cōueniunt, non qua pretium est determinatum à Principe, licet hanc rationem supponant, sed qua merx est; & tunc cambiū est genus quoddam mercaturæ, non secus ac si quis triticum vnius generis cum tritico alterius generis commutaret: sic pecunia adhuc retinens rationem pretij commutatur cum altera pecunia, non tantum qua pretium, sed etiam qua merx est ex vtraque parte; quia in vtraque considerantur qualitates aliquæ propriæ mercis, vt diximus; Et quia hoc cambium cō-

pletur

pletur in diuersis locis, eo quod datur pecunia in vno, soluenda in alio distante, & ad hoc est opus litteris transmittendis, vt suo tempore, & iuridice fiat; ideo appellatur cambium per litteras, quod quidem potest habere eosdē titulos lucri, quos aliæ mercaturæ habere possunt, vt quia merx est aduecta à remotioribus locis cum maiori periculo aduehentis, quod hic sit eius inopia, & huiusmodi. Dubium est, vtrum secundum genus cambij, qua mercatura quædam est, & negotiatio pecuniæ venientis etiam vt merx, possit exerceri, & compleri in eodem loco, vnde constituatur tertia quædam species veri cambij, quod neq; sit cambium minutum, neque cambium per litteras; Et videtur posse,

quia

quia occurrit quandoque in eodem loco ſecundum diuerſa tempora eſſe copiam, & inopiam pecuniæ, verbi gratia ſcutorum aureorum, imo etiã cuiuslibet generis pecuniarum, & conſequenter propter hunc titulum variari eiuſdem æſtimabilitatem, ſicut in cæteris mercibus occurrit; ergo tunc poterit intercedere verũ cambium pecuniæ in eodem loco diuerſum ab eo, quod per litteras exercetur, & ſic erunt tres ſpecies cambij.

Reſpondeo cum Molina pecuniam in eodem loco retinentem eumdem valorem legalem, non variare æſtimabilitatem propter copiam, vel inopiam eius, ſicut variat in diuerſis locis propter tranſportationem, & alia multa, quæ accidunt ipſi propter

ter quæ censetur diuersa merx, & sic potest cambiri; at in eodem loco nõ est tanta diuersitas, ob quam censeatur diuersa merx, vnde mutuari dicitur, & tunc, nisi ob lucrum cessans, non potest haberi ex illa lucrum. Quod autem in eodem loco non sit tanta diuersitas propter copiam, vel inopiam, patet; quia alioqui si esset tanta diuersitas æstimabilitatis, variaretur eius valor legalis à Principe, vel iubente, vel consentiente. Dices, quia rarior est aureus; qui ex valore legali valet quinque argenteos, quam sint ipsi quinque argentei, possum accipere cambiendo in eodem loco aliquid plus; ergo quia rariores sunt vno tempore aurei, quam ijdem alio tempore,

pore, manente eodem valore legali, potero cambiendo aliquid plus accipere.

Reſpondeo negando conſequentiam, quia non eſt cambitio, cum ſit eadem pecunia, ſeu eiuſdem generis, ſed mutuatio; quod non accidit in alio caſu poſito in antecedente: neque raritas huiuſmodi diuerſa ſecundum diuerſa tempora facit iuxta ſenſum mercatorum diuerſam æſtimabilitatem, alioqui variaretur valor legalis.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Vtrum cambium Bisuntinum, siue recursæ, vt vulgo vocant, sit verum cambium.

ADVERTE, quod agimus de cambio, quod vocabatur Bisuntinũ ab Vrbe, in qua feriæ prius erant,& vbi celebrabatur, quæ quia translatæ sunt deinde Placentiã,vocatũ est etiam Placentinum. Dicitur etiam recursæ, quia campsarius non habens respondentem in loco solutioni destinato, recurrit ad campsorem, qui per procuratorem, vel agentem suum mandet litteras eiusdem campsarij eo loco recipi, & compleri, accipiendo pecunias vel ab aliquo tertio, vel à se suas,

vel

vel à se nomine ipsius campsoris pro
prias eiusdem campsoris, ac si aliæ
non essent, accipiendo creditum, si-
ue remissam primi cambij, & faciē-
do nouum cambium, siue recambiũ
ex mandato, & nomine campsarij,
quo soluatur, & compleatur ibi pri-
mum cambium, & per nouas litte-
ras recurrat eadem partita ad ipsum
met campsorem in loco primi cam-
bij. Titius verbi gratia dat Genuæ
Sempronio 100. scutos aureos ad cā-
bium pro Placentia, & mittit litte-
ras Sempronij ad Caium Placentiæ
agentem suum, nempe Titij, quibus
mandatur, vt soluat sibi nomine Ti-
tij, seu vt stat, & agit pro Titio
scutos 100. & sex marcarum,
accipiendo illos ad cambium à se-
metipso, etiam de pecunijs, seu cre
dito Titij, & recambiendo nomine
Sem-

Sempronij, seu formando litteras, quibus Sempronio existenti Genuæ mandet, vt soluat Genuæ 100. scutos Titio ad valorem currentem; per quæ vides recursum Sempronij ad Titium pro procuratore eiusdē, & recursum pecuniæ datæ Genuæ à Titio pro Placentia ad eumdem Titium postea pro Genua, licet hic secundus recursus non semper fiat in recursa, sed tantum primus. Quæritur igitur vtrum tale cambium sit verum, & reale cambium, an fictū & siccum: & quia diuersa res est, quandoProcurator soluit sibi de proprijs pecunijs, vel de pecunijs alicuius tertij ab ea, quando soluit sibi de pecunijs campsoris, cujus est agēs, & in hoc secūdo casu maior est difficultas, quam in primo, ideo de hoc proponemus argumenta in vtram-

vtramque partem, vnde etiam patebit ad determinandum de primo. Primo non videtur esse verum cambium, sed mutuum palliatum; quia campsor commutat suam pecuniam cum sua, nam Placentiæ non est, nisi pecunia campsoris, at commutare suum cum suo, est nugatoriè, & non verè cambire, ergo &c.

Propter hoc argumentum reprobant quidam recursam, sed immerito, quia falsum est campsorem mutare pecuniam suam cum sua; nam Placentiæ est quidem pecunia sola cam psoris, sed campsarius per factorem accipiendo illam ad recambium, facit suam, & sic per illam suam factã, soluit debitum primi cambij, quare non est hæc ratio, quæ mouit Docto res magni ingenij contra sentientes.

Secundo arguitur sic pro parte negante;

te; Campſarius non vult cambire cum pecunia, quam habeat Placentiæ, cum ibi verè non habeat, imo ſit accepturus cum intereſſe, vt ſoluat primum cambium,& recambiat pro illa Genuæ; ergo vult mutuum accipere, ergo non ſit verum cambium ex parte eius; neque ex parte campſoris, quia campſor ſcit, campſarium alibi non habere, neque habiturum, quod ſoluat, & ſic ſcit ſe non poſſe cambire, cum non adſit materia cambiendi.

. Propter iſtud ſecundum alij recurſam damnant; ſed neque rationabiliter, quia falſum eſt campſarium nolle cābire cum pecunia, quam habiturus eſt Placentiæ,& falſum eſt ipſum nō eſſe illam habiturum, vt modo dixi, licet per recambium cum intereſſe ſit habiturus; adhuc tamen ſic

vult cambire, & pati hoc interesse propter aliud suum maius commodum, sicut voluntarie proijcit merces, qui proijcit in tempestate, ne patiatur naufragium: vult igitur cābire, cum non possit habere mutuū, licet, si posset habere, cambire nollet. Idem dicendum ex parte campsoris, falsum enim est hunc scire campsarium non habiturum vnde soluat.

Tertio; Litteræ eunt, & redeunt inanes, quia per solum consensum cāpsoris, & campsarij possunt mutari obligationes primi cambij soluendi in recambium celebratum, neque præter huiusmodi obligationū mutationem, fit alia solutio, ergo frustra mittuntur litteræ, vt confitentur ipsi mercatores, qui superuacaneum earūdem circuitum affirmāt;

at

at hoc eſt contra veritatem cambij ex Bulla Pij Quinti.

Propter tertium nec apparet iuſta, ac neceſſaria damnatio recurſæ; negari enim poteſt, litteras ire, ac redire inanes. Ad probationē, tranſeat per ſolum conſenſum campſoris, & cāpſarij poſſe mutari obligationem primi cambij ſoluendi in recambiū celebratum, quanquam nec appellaretur bene cambium, & recambium, cum ſolutio fiat in eodem loco non miſſis litteris, adeoque ſit mutuum; at nego præter huiuſmodi obligationum mutationem non fieri aliā ſolutionē, quia miſſis litteris fit ſolutio Placentiæ per factorem, quæ Placētiæ non fieret, ſed Genuæ, niſi litteræ mitterentur; vnde nec fruſtra mittūtur, neq; redeūt inanes.

Quarto; Negotiatio talis eſt parum

consentanea caritati, cum directè requirat mutuum, non cambium; imo etiam humano, & ciuili contractui repugnat, quia est veluti, si vẽdas carius, vt iterum idem ab eodẽ emas vilius; præterea magis grauat accipientem sic ad cambium, quam si acciperet mutuum cum vsuris: Ideo odiosissima est, & non tolerabilis.

Propter quartum; intellectus adhuc in rigore non mouetur sufficienter ad partem negatiuam, quia si non est negotiatio huiusmodi multum consentanea caritati plenè perfectæ; nondum tamen apparet contraria caritati necessariæ, quia non tenetur quis dare mutuum illi, qui potest per cambium sibi prouidere, nisi in graui necessitate proximi accipientis, cum non graui incommodo

do dantis: ita pariter non repugnat ciuili contractui de ciuilitate necessaria, & rigorosa loquendo; imo videtur potius posse conducere, quia sæpe mercatores non habent tunc ad manum pecuniam pro suis negotijs, quam nec inuenirent facile mutuo accipiendam, inueniunt autem accipiendo ab aliquo mercatore ad iustum cambium, & sic inuicem se sustinent, & sua negotia prosequuntur; neque grauantur facile supra grauamen Vsurarum, quia statuunt aliquod moderatum interesse, quod non excedatur, quamuis excederetur ab illo pretio, quod communiter in foro, seu in diuersis plateis constituitur.

Quintò; Cambium pecuniæ negotiatorium, seu mercatorium non est, nisi sit vnius pecuniæ cum alia habẽ-

te diuersam æstimabilitatem ex supradictis, vel ergo in recursa pecunia campsa Genuæ habet diuersam æstimabilitatem à pecunia cambiẽte Placentiæ, seu quæ est soluenda Placentiæ, primo ob distantiã localem, quæ labores & pericula in trãsportatione requirat, vel secundo ob copiam, seu inopiam eiusdem in diuersis locis, ob quæ vna hic sit vilior, quam ibi, quæ vilitas, seu caritas contingit, vel ex qualitate locorum in quibus pecuniæ magis, vel minus abundant, vel ex frequentia, seu infrequentia mercatorum, quærentium illam ad cambium; vel tertiò ob valorem legalem diuersum, vel propter ista tria simul, vel propter aliquid aliud, quod sit assignabile; sed propter nullum horum habet diuersam æstimabilitatem, ergo

non

non est in recursa materia veri cambij mercatorij : Minor probatur, quia labores & pericula transportationis suscipit campsarius in recursa per recambium, vnde nihil solui debet ex hac parte à campsario cãpsori pro onere transportandi, quod non campsor, sed campsarius subit, & licet campsor diceret se non curare, quod campsarius subiret, non sufficit, quia cum verè subeat campsarius, non potest campsor aliquid vltra sortem accipere pro eo, quod non est, scilicet pro onere, quod nõ subit; præter quam quod si campsor non curet, per se tamen est res cura & æstimatione digna; neque debet accipere pretium taxatum pro cambijs communiter in illa platea, quia hæc constituuntur assignando aliquod lucrum, seu excessum pecu-

niæ campſori, reſpectum habendo ad tranſportationem, quam virtualiter facit; alioqui non ſemper exceſſus illi eſſet aſſignandus, cæteris paribus, cum alij tituli exceſſus militare ſæpe poſſint in fauorem campſarij. Neque valet, quod dicunt aliqui, eſſe tantundem id, quod aſſignatur pro pretio, & non eſſe exceſſum; quia verè eſt plus de moneta aurea in ſcutis quinque impreſſionum, quæ ſoluuntur pro ſcutis marcarum; & tunc eſt plus de aliquo, quando intra eandem ſpeciem ex vna parte eſt exceſſus, ſeu abundantia; Vnde non valet exemplum allatum ab ipſis, quod qui emit mercem, in primo contractu non dicitur lucrari, ſeu habere plus de capitali, quia non adhuc ſcit, quantum eſt venditurus, ſed tunc habet plus, quã-
do

do vendidit, & habet plus de pecunia, quam prius: non valet inquam, quia pecunia & merx non ſunt intra eandem ſpeciem, ſicuti ſunt pecunia data, & pecunia recepta, vel quæ poteſt recipi in totidem ſcutis aureis verbi gratia. talis igitur exceſſus ſemper datur, ſi cætera ſunt paria, in primo cambio propter virtualem tranſportationem, qui proinde à campſore in recurſa non poteſt accipi; neque dicatur accipi, quia campſor ſuis ſumptibus agentē in loco ſolutionis tenet; nam quilibet ibi poteſt facere recurſam, etiã ſi non ſit agens, ſumptibus campſoris conſtitutus; præter quam quod agens ſupponit cambium, & materiam eius, non facit, vt quod non eſt cambium, ſit tale. Neque ſecundus titulus exceſſus, ſeu diuerſæ æſtima-

bili-

bilitatis in recursa militat, præsertim in primo cambio, quia non semper copia maior, seu vilitas pecuniæ est futura in loco solutioni destinato, propter quam minus æstimetur talis pecunia; aut saltem nescitur, an sit futura, nec ne; vnde non debet grauari campsarius irrationabiliter; idque intelligas tam de copia pecuniȩ, quam de frequentia mercatorum, seu cambientium, qui est titulus diuersæ æstimabilitatis; Neque tertius militat titulus pecuniæ diuersi valoris legalis, cum vt plurimum, aut semper, nulla pecunia realis in numerato intercedat, & agatur ferè de scutis aureis quinque impressionũ sub nomine scutorum marcarum; neque demum alius titulus assignari potest diuersæ æstimabilitatis vnius pecuniæ cãpsȩ ab altera cambiente;
nam

nam titulus temporis, quo campſarius vtitur pecunia campſoris, valere poteſt ad ſummum propter lucrum ceſſans campſori, vnde ſic habet rationem mutui, cambio admiti, & niſi aliunde ſaluetur vera ratio cambij, quia pecunia diſtans habeat diuerſam æſtimabilitatem, dirigendus eſt talis contractus regulis mutui, nõ cambij; ergo non eſt commutatio in recurſa diuerſæ pecuniæ, vt mercis, & mercis, ſeu ſecundum diuersã æſtimabilitatem, ergo recurſa non eſt cambium mercatorium, & cum neque ſit cambium ad minutum, ſic nullum eſt verum cambium; & hoc eſt quod dicit Molina de contractibus tr. 2. diſp. 404. num: 6,, vbi improbat cambium cum eo, qui non habet, neque eſt habiturus, niſi accipiendo à campſore ipſo, vnde ſol-

uat

uat illi in loco ſolutionis diſtante, ex eo quia non eſt vera releuatio eius à tranſmiſſione pecuniæ ad diſtantem locum,neque eſt commutatio pecuniæ vnius loci pro alterius.

Hoc argumentum ingenuè fateor multum, ac diu me torſiſſe, ac ferè traxiſſe penitus in hanc negantem ſententiam; ſed tamen poſt exactam, ac diuturnam conſiderationem, adhuc ſolui poſſe videtur; nam conceſſa maiore, nego minorem, quia adhuc illa pecunia, per quam ſoluit campſarius primum cambium, eſt oneroſa per ſe, nam poteſt ſemper ſolui in loco diſtante, ſi campſarius velit, aut ſi non vult, hoc facit campſor ad petitionem, & commodum ipſius; & communiter retinet ibi, aut mittit illuc agentem cum ſumptibus; & niſi daret huic campſario

cum

cum recursa, daret facile alteri; non curando, siue sit recursa, siue non sit, & patitur detrimentum ex tempore, quo non potest suam pecuniam negotiari; & ad summum, si quid probaret argumentum, probaret ex hac parte imminui debere aliquid de pretio, quod mihi non displicet; nisi lucrum cessaret aliunde campsori; nam vere in huiusmodi contractu est ferè certum lucrum, modicum periculum ac fere nullus labor; ac nonnihil est similis fænori, quod qui exercet, inquit S. Gregorius Nissenus Oratione contra vsuras, vult omnia sibi sine satu, & inarata progigni; cui quidem aratrũ est calamus, ager carta, semen atramentum, pluuia tempus, falx repetitio: ideo debet esse valde moderatum lucrum in hoc contractu cam-

cambij ſic exercito;quem tamen argumentum allatum non probat adhuc non eſſe verum, & reale cambium; nam cum militet ſecundus titulus de copia, ſeu inopia pecuniæ aut vilitate, ſeu raritate eiuſdem, quæ oritur vel ex natura locorũ vel ex frequentia, ſeu raritate mercatorum, pecuniam quærentium, & hæc pecunia his conditionibus affecta in illo loco verè ſoluitur, vt inferius apparebit, ac proinde ſuſcipit qualitatem,& ęſtimabilitatem illius loci,quæ diuerſa eſt ab æſtimabilitate huius, in quo datur ad cambium, inducit diuerſitatem in pecunia,quę eſt ſufficiens, ac verum, & ſolidum fundamentum cambij per litteras; imo Salonius de cambijs qu. 4. ar.1. nu. 14. putat eſſe totum fundamentum talis in ſpecie contractus, & cũ ipſo

ipſo Mercatus, & ſequitur Raphael de Turri, & cum per diuerſa contingentia varietur talis æſtimabilitas, adeoque poſſit eſſe in campſoris detrimentum, ideo etiam ex hac parte intelligitur pecunia oneroſa, qui erat primus titulus, quicquid ſit de tertio; præter quam quod toto eo tẽpore neque poteſt à campſore, ſeu mercatore aliò mitti ad lucrandum: remanet igitur diuerſa merx pecunia ſoluta in loco diſtante, & ſic remanet materia veri, ac realis cambij; diuerſitas autem eſt, tũ quia eſt per ſe oneroſa ob rationes dictas, tum quia habet diuerſas qualitates, vel ex natura diuerſi loci, vel ex alijs contingentibus, vt iam dixi.

Ad hoc idem argumẽtum quinto loco allatum, videtur alijs non ita abſolutè vt nos fecimus, ſed cum diſtin-

ctione

ctione reſpondendum; quod nimirũ licitus ſit, ac legitimus huiuſmodi contractus, cum campſor habet in loco ſolutioni deſtinato aliam pecuniam, ſiue creditum aut partitam, vt loquuntur, æquiualentem pecuniæ, diuerſam ab illa, cuius eſt iam creditor per primum cambium; cũ verò neque campſarius, neque cam pſor habet eò loci aliam pecuniam, ſiue partitam, tunc eſſe illicitum; ita præ cæteris Cardinalis de Lugo Eminentiſſimus dignitate non minus quam doctrina, tr. 2. de iuſtitia & iure diſp. 28. ſect. 7. nu. 93. Probatur, quia cum eſt alia pecunia in loco ad ſoluendum, facilè ſolui poteſt primum cambium, & inſtitui ſecundum; at cum nulla alia pecunia interuenit in loco diſtante, per quam ſoluat campſarius primum cã

bium,

bium, nisi creditum ipsius campsoris ex primo eodem cambio, tale creditum non est sufficiens pecunia ad soluēdum in illo loco distante, quod probatur multipliciter, ex eo præsertim quod creditum campsoris non potest transferri in campsarium debitorem, nam esset idem creditor, & debitor sui ipsius. Respondet quidē ad hoc ipsemet Cardinalis num. 95. non fieri scilicet solutionem per translationem crediti, sed per cessionem, seu per hoc, quod campsor habet illud pro soluto, ex eo quod campsarius se obligat ad recābium, per quod existit solutio virtualis. Sed contra hanc responsionem insurgit idem auctor; quia si hoc virtuale implicitum, per quod fit solutio, reduceretur ad explicitum; nempe si dixisset campsarius,

quando accepit primo ad cambiũ, ego in loco ſolutioni deſtinato obligabo me tibi de nouo, ad ſoluendũ hoc debitum hic, vbi primum cambium celebramus, non ſubſiſteret, quia non eſſet ſolutio, neq; permutatio pecuniæ in alio loco facta, ſed fieret ſolutio in eodem loco.

Reſponderi tamen poſſe videtur oppoſitioni prædictæ ſalua doctrinæ tanti viri reuerentia, quia verum quidem eſt, quod ſi diceret eo modo campſarius, non ſubſiſteret cambiũ, quia ſi diceret obligabo me in loco diſtante ad ſoluendum tibi hoc debitum hic, certe remaneret debitũ idem, & ſic non fieret eius ſolutio in eo diſtante loco; ſed non reſoluitur in hoc dictum, ſed in iſtud; ſoluam tibi in loco ſolutioni deſtinato, vel ex alia pecunia, ſi voluero, aut

potue-

potuero, vel ex ea quam tu dabis mihi ibi ad recambium, siue dando pecuniam nouam effectiuè, siue virtualiter, per hoc quod fiet inter nos compensatio, ex parte quidem tua habendo pro soluto cambium primum, quod est virtualiter mihi dare nouam pecuniam, ex parte vero mea obligando me ad recambium, quod est virtualiter me dare tibi, & sic per compensationem fit solutio, vt ipsi negotiatores affirmant, & est vera solutio, quia compensatio est virtualis exbursatio pecuniæ ex vtra que parte compensantium, vnde ve rè dici possit, & campsorem virtualiter exbursare, seu ad recambium dare, & campsarium exbursare virtualiter ad soluendum primum cam bium, sicuti si in priori accepisset pecuniam á campsore effectiuam,&

in posteriori illam dedisset eidem campsori ad soluendum, in quo casu concedit Cardinalis subsistere cambium; hoc idem facit compensatio, imo breuius, nam simul intelligitur vterque dare; quare ad rationem ipsius in num. 96. quod oportet, vt Ioannes campsarius aliquid det Petro campsori in loco solutioni destinato ad hoc vt soluat primum cambium, conceditur, & dicitur, quod dat obligationem ad recambium, quam Petrus campsor accipit pro soluto primo cambio, quæ obligatio non est soluendi primi debiti, sed est obligatio soluendi alterius debiti, per quam soluitur primum cambium, quæ cum sit vera solutio, proinde fuit etiam verum primum cambium; sic possem, si ego Genuæ tibi deberē 100. aureos

ex

ex mutuo, petere à te, vt dares mihi poſtea illos ad cambium pro Placentia, vbi vere & effectiue illos tibi ſoluerem, & hoc cambium faceremus per ſolam compenſationem; aut per nouationem vt alij dicunt; quia virtualiter hic Genuæ ad cambium mihi dares, & ego tibi virtualiter ſoluerem mutuum; ita in præcedenti noſtro caſu per compenſationem ſolui poteſt in loco ſolutioni deſtinato cambium primum, & inſtitui recambium. Quod autem vera ſit ſolutio primi cambij prædicto modo facta docet etiam Naldus in ſua ſum.v.camb. & probat auctoritate multarum legum atq; Doctorũ. Vide etiã Dianam p.9.reſol. cũ alijs
Dices congregatio Romana ſub Vrbano VIII. in reſponſione ad Genuen. reiecit quoſdam caſus, in quibus ſo-

lutio primi cambij erat facta per pecuniam campsoris modo explicato, ergo non est bona solutio.

Respondeo congregationem reijcere quosdam casus propter quædam verba æquiuoca, vt docet citatus Cardinalis, in quibus latere poterat ficta solutio primi cãbij; quod tunc præsertim dicimus esse cum neque campsor, neque campsarius, neque tertia persona verè adesset in loco distante ad veram solutionem faciendam; quæ æquiuocatio maxime esse potest in illis verbis Dantis qui scribit Genua ad suum Dantẽ de Feria, vel similia. Imò dũ prædicta Congregatio in vltimo casu proposito liberè concedit, vt possit in contractu primi cambij se obligare campsarius ipsi campsori, quod ad ipsum remittetur, à loco solutionis

nis ad eundem locum, in quo fit primum cambium, effectus ipsius, seu pecunia, quæ cambitur; perinde est, ac si concederet, vt fieret solutio ex pecunia, non quidem creditoris, quod ipsa Congregatio reprobat, & nos pariter cum illa; quia de pecunia creditoris non potest fieri solutio ipsi creditori, qui sic nihil acquireret quod non haberet, sed de pecunia à creditore per recambiũ accepta à Campsario, seu procuratore Campsarij, quomodo fit prius Campsarij, & deinde soluitur creditori: tunc enim solutio primi cambij non minus ita fit per compensationem, vt explicatum est, ac si ab alio tertio sumeretur ad cambium; & campsarius ita obligatur cum vno, atque cum alio; & per reflexionem debiti, quam concedit

Congregatio non minus redit pecunia ad campſorem in eodem loco in quo primum accepta eſt ſi ab alio accipiatur per nouum cambium, ac ſi ab eodem campſore per recambium ſumatur, ex quibus patet, quod non reprobat dicta Congregatio talem contractum, cum ſit de pecunia creditoris, vel vt melius dicitur à creditore accepta quouis modo, vt docet,ac tenet fieri poſſe idem Cardinalis de Lugo loco citato cum alijs.

Dicendum igitur cambium recurſæ, etiam cum ſit recambium ex pecunia ſumpta à creditore eſſe verum cambium. Eſt ſententia multorum recentiorum, vide Salas tr. de cambijs, & alios de hoc.

Probatur ratione à priori, quia illud eſt verum cambium, in quo commutatur

mutatur vna pecunia diuersæ æstimabilitatis cum alia , sed in dicto cambio adhuc saluatur commutatio vnius pecuniæ cum alia diuersæ æstimabilitatis, ergo, &c. Maior patet ex deffinitione allata cambij supra qu. 4 & quia sicut commutatio tritici traditi Genuæ cum tritico tradendo in Sicilia diuersam æstimabilitatem habente, est vera commutatio mercis cum merce in prima specie permutationis, ita hic est vera commutatio pecuniæ cum pecunia, quæ dicitur cambium in tertia specie permutationis. Minor probatur, quia etiam cum recambitur ex pecunia à creditore accepta, siue illa sit in numerato, siue in partita, aut credito, talis pecunia, qua soluitur primum cambium in loco solutioni destinato verè habet diuer-

diuerſam æſtimabilitatem : Tum quia de ſe eſt oneroſa campſori, cum poſſet illi fieri ſolutio in pecunia numerata, ſeu alia partita ab alio accepta, quam tenebatur acceptare campſor, &c. per accidens eſt; quod campſarius ab illo voluit illam accipere : Tum quia pecunia talis verè ſoluitur ibi, & virtualiter exburſatur à campſario, & pariter virtualiter exburſatur à campſore per compenſationem factam ex nouo contractu, vnde induit qualitates pecuniæ illius loci, quæ diuerſimode æſtimabilis eſt tum propter onus, quod ſecundum ſe fert ex diſtantia, tum propter variationem ex vilitate, ſeu caritate, ex frequentia, ſeu raritate negotiatorum talem mercem quærentium, tum propter

propter diuersum valorem, quem posset habere à Principe, & sic cum sit vere diuersa merx, est etiam vera materia cambij, quod proinde verum est, ac etiam iustum, modo pretium pariter sit iustum, & rationabiliter constitutum.

Per hanc rationem patet responsio ad argumenta Bernardi Iustiniani, quibus in suo tractatu De continuationibus cambiorum impugnat ipsas, eo sæpe repetito, quod non fiat in illis vera solutio: Ad illa pariter insignis Iur speriti Merendæ, viri alioqui doct ssimi, meique amantissimi, quatenus & ipsa veram huiusmodi solutionem improbant; cuius etiam peracutis quæsitis, seu obiectis respondit Io. Dominicus Peri tom. 2. cap. 19. & 3. cui titulus est Frutti d'Albaro, solertis vir ingenij, & in omni

omni negotiatione, præſertim iſta perit ſſi mus.

Probatur ſecundo ex regula Syluestri communiter recepta; quia verum, & iuſtum cambium eſt, in quo nec aliquid ſumitur ratione temporis; nec in aliquo grauatur campſarius; at in prædicto cambio ita ſe res habet, cum incrementum pecuniæ ſi aliquod ſumitur (nam quandoque nullum interuenit) accipiatur ratione diuerſæ æſtimabilitatis pecuniæ; quæ contingit ex diuerſitate locorum, non verò ratione temporis: neq; interuenit grauamen iniquum campſarij ex ipſa ratione cõtractus, niſi per accidens ſuperueniat ex iniquitate contrahentium.

Probatur tertio ex reſcripto Sacræ Congregationis Cardinalium Romæ ad Archiepiſcopum Panormitanum,

num, quæ censuit huiusmodi cambium, de quo hic agimus, minimè comprehendi litteris Pij Quinti, vt refert Salonius, & ipsemet Eminentissimus De Lugo disp. & sect. citata. Imo ipse Summus Pontifex Pius Quintus in Breui pro Bononiensibus hoc ipsum approbare videtur, dum inquit, *Che ogni persona possa dare à cambio, e fare che le lettere siano recapitate sopra d'essi datori, e così tenerli su'cambij finche saranno rimborsati da chi hauerà preso i danari*. Et licet concedendo talia postulata addat Pontifex, modò licita sint, adhuc hoc genus cãbij per ipsum conceditur, quod per rationes licitum probatur.

Adde quod Sacra Rota Romana per duas Decisiones suas hanc eandem doctrinam declarauit, & firmauit, vt refert Rubeus tom. 3. decis. 52.

dicitur

dicitur enim ibi ab illis Dominis; Et hinc vidimus incidentes quæstiones super modo licitè cambiandi in Tribunali nostro, omissis multis, inter cæteras fuisse decisas secundum canonicas sanctiones, non autem de voto mercatorum; nempe quod cambium possit contrahi pactione adiecta, vt dans ad cambium pro nundinis futuris possit pro debitore in loco nundinarum soluere, quam pactionem mercatores appellant, con la recorsa, in causa Romana, seu Florentina pecuniaria 12. Ianuarij 1615. & adducit ibi eadem Rota auctoritates Doctorum ita sentientium, & dicit secundum veriorem. Subdit aliam Decisionem; Similiter quod habens facultatem accipiendi pecunias ad cambium possit de voluntate debitoris accipere à seipso;

ſo;fuit concluſum in Romana cambiorum 18. Iunij 1627. Et hoc validum prædictæ Rotæ teſtimonium mihi ſuggeſſit R.P. Ioannes Baptiſta Spinula Congregationis Somaſchæ ingenioſiſſimus, & eruditiſſimus Theologus, qui cum fratre ſuo P. Stephano paris doctrinæ nobiſcum ſentit.

Probatur quarto ex eo quod argumẽtis impugnantium reſponſum eſt ſufficienter à Doctoribus inſignis notæ, & eruditiſſimis Theologis, Salonio, Leſſio, Salas, Cardinali de Lugo, Diana etiam nouiſſimè parte 9. reſolut. vnde non facilè videtur damnandus contractus, qui rectè poteſt defendi; cum alioqui ſit commodus Reipublicæ, ac præſertim mercatoribus, ſine quo inquit Salonius l. ſup. cit. non poſſunt facilè

ſacilè negotia, & mercimonia exerceri; quod etiam ſæpe innuit, ac declarat Raphael Turrius in doctiſſimo ſuo tractatu. Et plerique incommoda, & damna, quæ aliquibus ex tali contractu inconſultè proueniunt proponentes, ac ſæpe repetentes, non tamen commoda commemorant, quæ illius vſu multis proueniunt, & ſibi, ac rebus ſuis conſulentibus; non ergò facilè damnandus videtur, dum ſufficienter obiectis in contrarium reſpondetur. Et quidem nouiſſimè Honoratus Leothardus Nicienſis Senator valde doctè alioqui, ac piè in libro ſuo ſingulari de Vſuris, &c. obijcit non pauca, quibus ego, vt potero, breuiſſime reſpondebo. Nam q 26. n. 30. opponit non eſſe veram ſolutionem, neq; commutationem, illam

quæ

quæ fit in cambio recurſæ, vt aſſertum eſt à nobis, quia deficit pecunia numerata in loco ſolutioni deſtinato, ac proinde non completur commutatio, ſed diſceditur ab ea, neque fit vera ſolutio. Reſpondetur ex eo, quod eſt ibi æquiualens, & virtualis pecunia modo ſupra explicato, fieri veram ſolutionem; non ſecus, atque ſi à campſario traderetur numerata pecunia campſori; deinde reciperetur ab illo ad recambium; hoc breuius fit, ſed æquiualenter per compenſationem, vt dictum eſt; & eſt vera commutatio pecuniæ, quia huiuſmodi pecunia virtualis habet diuerſam æſtimabilitatem in loco ſolutionis ab ea, quã habet in loco, vbi ad cambium eſt accepta.

Et nu. 31. aſſerit campſorem, & cam-

psarium nihil acquirere, & nihil dare, & sic non commutare. Respondetur ad æquiualentiam dare,& acquirere, vt patet ex lucro, quod sæpe facit campsor.

Et num. 32. campsarium non soluere, quia non liberatur, sed magis vincitur, quod etiam dixerat num. 28. & 29. quia vno pede liberatur, altero vincitur propter recambium; & quod non est campsori satisfactum. Respondetur verè liberari campsarium totaliter à debito primi cambij, & quod vinciatur liberè per recambium nihil obest; nam sic etiam vinciretur, si acciperet à tertia persona, quod tamen cambium,neque hic auctor improbat: campsor autem quoad primum cambium sibi putat satisfactum.

Et eodem numero,quod Pius Quintus San-

Sanctissimus Pontifex frustra cambia, & recambia improbasset, cum vel litteræ non mittuntur, vel redeunt inanes. Negamus frustra improbasse illicita, vt pote propter varias circunstantias; & præsertim cum non mittuntur litteræ, vel non adimplentur: cæterum licita probauit, & concessit ex supradi&is.

Et num. 33. cum ait non licere dare decem, vt vndecim recipiantur. Non est verum, cum recipiuntur ob diuersam æstimabilitatem pecuniæ.

Et num. 34. ad id, quod dicitur, quod liceret in eodem loco huiusmodi commutationem facere; iam solutum est superius q. 5.

Et num. 47. arguit labores, & sumptus campsoris sic non esse præmio dignos, quia cambium uon subsistit.

At hoc nos negamus, & esse verum cambium ex diuersa æstimabilitate pecuniæ supra ostendimus.

Et num. 39. impugnat radicem iustitiæ talis cambij ex incertitudine lucri. Sed quicquid sit de ista, nos veram radicem ponimus diuersam pecuniæ æstimabilitatem propter iam dicta.

Et num. 40. Aristotelem ait improbare lucrum ex pecunia. Negamus Philosophum improbare lucrum, quod fit ex pecunia commutata, habente diuersam æstimabilitatem; nam sic damnarentur cambia etiam simplicia, quæ ab omnibus approbantur. Ex quorum omnium confutatione habetur nostræ sententiæ confirmatio. Sed adhuc remanent quædam soluenda.

Obijcies primò; in cambio debent esse

esse duæ diuersæ pecuniæ, quæ possint inuicem cambiri; sed in recursa quandoque non est nisi vna, nempe pecunia, seu creditum campsoris; ergo: Respondeo creditum campsoris reflexum per recambium in loco solutioni destinato esse diuersam pceuniam, quæ soluitur ibi à campsario facta sua virtualiter modo supra explicato.

Obijcies secundo pecunia, siue actualis in numerato, siue virtualis in credito futura in loco distante ad soluendum debet præsupponi etiã primo cambio; sed creditum campsoris non præsupponitur; ergo: Maior probatur, quia materia, quæ est pars essentialis cambij debet præsupponi, seu prior esse ipso cambio, vt pars essentialis præsupponitur suo toti essentiali; sed talis est

pecunia futura in loco distante ad soluendum; ergo,&c. Minor etiam probatur, quia creditum campsoris non præsupponitur, sed supponit cambium, à quo resultat.

Respondeo difficili argumento, negando Minorem. Ad probationem distinguo dupliciter: Primò, creditum consideratum, vt est quædam pecunia in genere, & in confuso futura in loco distante non presupponitur, seu non est prius ipso cambio, nego Minorem, quia tale creditum, vt est quædam pecunia futura in genere, & in confuso, non dicit quod sit creditum, neque non creditum, sed quod ibi erit aliqua pecunia abstrahens à credito, seu non credito; vt verò est creditum, concedo Minorem; sed ad veritatem, & essentiam cambij sufficit, vt præintelligatur

gatur futura in genere, & in confuſo aliqua pecunia ſufficiens ad ſoluendum; vnde quælibet tunc detur, etiamſi alia detur, quam quæ deſignata eſt, aut ſperata tempore cambij celebrati, adhuc cambium fuit verum, & reale quoad ſuam eſſentiam; ex quo patet quamlibet pecuniam futuram in genere ſufficere. Diſtinguo ſecundo illam Minorem: creditum futurum non præſupponitur in executione ipſi cambio, concedo, quia ſequitur cambium factum; non præſupponitur ſecundum intellectum cambio faciendo, nego; quia benè præintelligitur antequam cambium celebretur, futurum creditum ex cambio reſultans tempore, & loco ſolutioni deſtinato, ſufficiens ad ſoluendum ipſum cambium, vt ſupra explicatum eſt,

& hoc ſufficit ad eſſentiã cãbij; non enim pecunia ad ſoluendum præſupponi debet cambio ſecundum rem, vt patet, ſed tantum ſecundum intellectum, & ſecundum ſpem.

Obijcies tertio, Metaphyſicè, vel ſpeculatiuè ſic ſaluatur veritas cambij, non autem practicè, & moraliter, vt innuit Leſſius de Iuſt. & Iure, dum de hoc; non igitur ſic permittenda praxis.

Reſpondeo ſaluari eſſentiam, & veritatem cambij in omni rigore Metaphyſico, & etiam rationabili, ſeu morali; ac proinde non eſſe praxim eius abſolute damnandam; niſi forte aliunde in eo peccetur, vel contra iuſtitiam, vel contra caritatem; quemadmodum niſi ſeruetur iuſtitia pretij, quod impropriè vocant,

nam

(nam propriè pretium eſt in contractu emptionis, & venditionis ex ſupradictis) huiuſmodi autem iuſtitia conſiſtit in æqualitate pecuniæ campſæ, & cambientis, ſeu datæ à campſore, & redditæ à campſario, attento in ea valore, qui creſcit, vel decreſcit ex ratione præſentiæ, vel diſtantiæ loci, vbi datur, & redditur pecunia; copiæ pariter, & inopiæ eiuſdem, vbi pariter datur, & redditur; quibus attentis à bonis, & prudentibus, ſeu peritis negotiatoribus commune pretium conſtituitur, cui ſtandum eſt. Vitari etiam debet violenta, aut tyrannica aliquorum cupiditas, qui ditari volunt ex aliorum paupertate, ſeu neceſſitate; in quo pariter arguendam cenſeo eorum violentiam, qui miſeros campſarios ſoluere non valentes

lentes exburſata pecunia, per noua, ac replicata cambia onerant iniquè dirigendo cambia ad loca ipſis cāpſarijs valdè incommoda, & onerosa; quod eſt contra finem huius contractus, in quo ſi campſor habet lucrum, debet campſarius habere commodum; & qui exercendus eſt cum publica vtilitate, non cum indigentium deſtructione, adeoque cum moderato, ac rationabili lucro; ita etiam Fabianus de camb. part.1. niſi forte talis violentiæ iuſtitia ſaluaretur ex eo, quod campſor haberet alios ad illa loca poſtulantes. Demum aduertendum ne contra caritatem peccetur, aut dando ad cambium ei, qui euidenter conſumit omnem rem ſuam, vel ex defectu iudicij, vel ex prauo aliquo affectu; aut ei, cui dandum eſſet

mutuum

mutuum, quod aliquando eſt in præcepto iuxta Doctores, cum ſcilicet per mutuum ſine magno ſubleuantis incommodo poteſt miſer aliquis ſubleuari, qui maximum alioqui pateretur incommodum, ac detrimentum per iterata cambia, atque recambia, vt docet etiam Salas dub. 12. Vnde S. Auguſtinus in pſ. 39. de multum indigente dicit; cum patitur iſte pauper neceſſitatem, venit ad ditiorem,& dicit, da mihi, rogo te, patior neceſſitatem, vrgeor à creditore, & ille, non habeo modò in manibus; ſi velit vendere, haberet: agnouimus hoc, fuerunt in nobis, iam non ſint in nobis. Omninò negotium hoc, vt iam dixi, ſi benè geratur, vtile, ac ferè neceſſarium Reipublicæ, exercendum eſt iuxta Chriſtianam pieta-

pietatem, & diſcretam politicam contractationem; Quæ omnia diſputata ſunt à me, ſi fortè obſcuriſſimæ quæſtioni pro parte, ac modulo meo aliquam lucem afferre potuerim; ſaniora ſemper iudicia reuerendo, ac præferendo; Ad Dei Omnipotentis laudem, & gloriam.

F I N I S.

ERRATA.	CORRIGE.
43 forma	formæ
67 admiti	admixti
69 luctum	lucrum